



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici**

**Leoni, Giovanni Francesco**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

18 Pecunia debita, quando in impositione census possit haberi pro numerata.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10316**

mens ipsius conditoris, quòd census ad septem legitimè imponi possint, & scientia Papæ omne vitium purgat. *Castad. decis. 2. desim. n. 4.* habetq; vius dispensationis, *Felin. in cap. cum vigesimum. num. 5. de 17 off. & potest. jud. deleg.*

Justum † enim pretium rerum non consistit in puncto individuo, sed in quadam mediocritate, quæ latitudinem habet per gradus, quemadmodum generaliter docet Aristot. *lib. 2. ethic. cap. 6.* adeo quòd cujusque rei pretium † est triplex, <sup>16</sup> supremum, infimum, & medium, nec potest dari casus, quo res præcisè centum valeat, nec plus, nec minus, quoniam centum valet pretio medio, pretio supremo centum, & quinque, & pretio infimo nonaginta quinque, iniquitas enim in pretio consistit in excessu, vel diminutione justii pretii: quod ad mediocritatem pertinet, quæ cum latitudinem habeat, in pretium supremum, infimum, & medium, & in hoc triplici pretio iniquitas contingere nequeat, secundum *Sot. in 4. dist. 15. quest. 2.* *Navar. in cap. qualitas, de pecuniis, dist. 5. num. 45.* & *Covar. lib. 2. variar. resolut. cap. 3. num. 1.* in hac varietate quinque, sex, septem, octo, novem, aut decem pro centenario, taxa septem, quæ magis communiter practicatur, & uti pretium medium, ubi minor non sit in usu, est admittenda, ut in mediocritate fundata, de qua per *Alex. in l. quod te ff. si cert. pec. Covar. d. cap. 3. num. 1.* & *Navar. in manual. cap. 17. de usur. n. 239. tom. 3.* & ita fuit ultimo per *Clem. Papa VIII.* ad septem pro centenario, in statu ecclesiastico, favore Communitatum, Universitatum, civitatum, oppidorum, & locorum dicti status ecclesiastici

ære alieno onustorum annuus redditus census hujusmodi taxatus, ut in motu proprio ejusdem Papæ Clementis die prima Maij 1592. expedito.

Quartò, † quòd totum pretium simul solvatur in pecunia numerata præsentibus testibus, ac notario, ut ibi, *tutius, &c.* Propterea notarius, & testes videre debent solui pretium integrum in pecunia numerata, & non sufficit ostensio, aut traditio partis pecuniæ, etiam cum confessione vendentis censum, quòd receperit totum, *arg. l. 1. & ult. C. de dot. cau. non num.* quoniam dicta conditio fuit in constitutione apposita ad evitandas fraudes, quæ vix removeri possunt; ut per *Navar. eod. com. de usur. num. 82.*

Quid † auctm, si vendens censum debeat emptori centum antea ob aliquas causas recepta, & postea facta ostensione, & numeratione pecuniarum recipit illa centum in partem pretii, an emens, in foro conscientiæ possit tunc percipere censum ita constitutum, & solutum, est distinguendum, quia, aut illa centum debebantur ex legitima causa ab homine sagaci, qui in sui utilitatem illa exposuerat, & tunc censum integrum exigere potest, quia verè eorum Deo pretium fuerat solutum, aut dicta centum fuerant data in pannis, & aliis mercibus, vel in pecunia numerata ad ludendum, aut in alios usus malos, & varios convertenda alicui juveni bona sua dilapidanti, qua de causa potissimum *Pius V.* motus fuit ad dictam conditionem in constitutione apponendam, & tunc census non erit legitimè creatus, & emptor tuta conscientia illum pro illis scutis malè consumptis exigere non potest, *Navar. eod. n. 82. vers.*

est tamen quasi & nu. 89. & Graff. decis. 174. lib. 3. Graff. ea decis. 118. numer. 23. aut. d. c. 118. nu. 21. vers. tertiaur. par. 22. Sexta ¶ conditio est, quod re censuali pereunte, pereat census in totum, vel in parte, ut ibi, re in totum, vel in parte pereunte, & quod re perempta, super qua impositus est census, perimii debeat census, probat Gemin. in l. 2. comment. 2. num. 63. C. de pac. interempt. & vendit. & Rot. divers. par. 1. decis. 757. num. 2. & non solum pereunt census perempta re, super qua fuerunt impositi, sed etiam pars eorum pro rata partis perempta, & hoc casu paria ¶ sunt, rem perire, vel infrugiferam fieri, quia utroque casu census perit. Navar. eod. com. num. 95. glos. 12, & videtur, quod tantum reddere debeat, quantum sit census, alioquin non satis diceretur frugifera, juxta materiam subiectam, juxta quam verba sunt intelligenda, l. si vno, in princ. ff. loc. c. intelligentia. de verb. signif. & Navar. eod. com. n. 85. vers. octava quod res.

19 Quinta ¶ conditio est, quod licet census constitui posset ad certum tempus, ut usque ad annos quinque vel decem, aut ad vitam hominis, & contractus esset legitimus, & licitus ex sententia Inn. in cap. in civitate, vers. item si ve certus, de usur. in censu antiquo hoc erat permittum, sed post dictam constitutionem Pij V. census licite fieri non potest ad tempus, sed perpetuo constitui, & assignari 23 debet, ita quod ¶ venditor nullo unquam tempore invitus ad redimendum cogi possit, ut in ead. const. ibi, ab invito, Cov. lib. 3. var. resol. c. 9. n. 4. Nav. in d. com. de usur. n. 78. & n. 97. in fin. & Graff. 21 decis. 118. n. 22. par. 1. lib. 2. Nihil ¶ debitor census denunciaret emptori census redimere, & pretium illius restituere velle, quia tali casu, lapsis duobus mensibus, & pretio redemptionis non restituto, 24 potest debitor denunciator cogi ab emptore intra annum ad redimendum, quo tamen anno elapso, non potest postea cogi ad redimendum, nec repelli a redemptione, eo quod semel, aut pluries denunciaverit, se velle redimere, si intra annum a denunciatione non cogatur id facere. Navar. in eo. com. de usur. nu. 95. gloss. 13. Nec potest apponi conditio, quominus quandocumque census, ut post decennium, & non antea a venditore redimi possit, quia tunc emptor constituitur omnino certus de lucro ultra sortem, de fructibus eo tempore percipiendis, quo res vendita redimi non potest, contra mentem Apostolicarum constitutionum, Bal. cons. 487. lia. 1. & cons.